

si quemadmodum effectus et indicia hujus conflictus videmus, ita causas videamus efficientes, quæ Christum interius ante crucifigebant, flagellabant, coronabant, quam re ipsa crucifigeretur etc. Prima causa viva et præsentissima delineatio omnium tormentorum, contemptuum, injuriarum et mortis, quæ infra paucas horas sibi toleranda esse sciebat eaque exactissime, nec quidquam sibi remittendum. Quanti possit hæc imago vel uno illo exemplo colligi potest, Didaci Osorii Hispalensis, qui a rege catholico in carcerem conjectus, præ nimia animi mœstitia cogitationibus mentem exagitantibus, cum adhuc admodum juvenis esset, una nocte totus incauit: teste Petro Hispan. Silv. pagina II. cap. VII. Non erat, cur hic timeret supplicia Christi, quæ, divo Thoma teste, alia omnia supplicia præsentis vitæ longe excedebant, III. par. q. XLVI. art. VI. Mirari igitur desino, si calicem tum, o Christe, quem ad fæces usque exhauriendum tibi sciebas, cum aliorum hominum calicibus confere. Quid enim non doloris, quid non injuriarum, quid non ignominiarum congestum erat in hunc calicem? Ibi flagella, ibi spinæ, ibi sputa, ibi pugni, ibi clavi, ibi fel et acetum, omnis generis tartarea instrumenta, ibi denique mors in olla: parum igitur est si tædere et nauseare cœpisti super hoc calice, miror te non illico extinctum. Monstratum et appositum fuit Petro ejusmodi convivium, Actor. X. in quo varia quadrupedia, serpentina et volatilia erant, dictumque Petro: *Occide et manduca*. Sed ille: *Absit, Domine*, inquit. Nihil sunt, o Petre, hæc tuæ dapes, si cum Christi dapibus conferas, quas devorare debuit. In cujus rei monumentum, arbor in loco sudoris Dominici, si credimus Hegesippo apostolorum discipulo apud Bosquier. in teatro, crevit, in cujus foliis legebantur verba illa: *O mors quam amara est memoria tua!* Quod si hoc potuit sola mortis memoria et imaginatio, quid debuit fuisse ipsa ejus passio!

Secunda, peccatorum omnium toties mundi clara cognitio, fortissima apprehensio et universalis contritio. Quia enim peccata nostra in se transtulit, eaque absque contritione delerinequeunt; ideoque contritionem eis debitam, quam omnes peccatores excitare in se debebant, ipse unus in se loco omnium excitavit, et ut Isaias, c. LIII. ait: *Attritus est propter scelera nostra*. Itaque peccata nostra fuerunt, quæ Christum in oratione onere gravissimo ad terram depresserunt, quæque instar torcularis sudorem illum sanguineum e corpore ejus expresserunt. Verum quidem est, hanc considerationem in nobis raro

provocare lacrymas aut serium dolorem, nedum sanguinem: verum id propterea fit quod peccati execrabilitatem non satis penetramus: quia enim peccata fere semper cum dulcedine aliqua et voluptate juncta sunt, ea aliter etiam apprehendimus; saccharo videlicet obducta, non prout sunt fœda et nuda: deinde quia non ardemus illo zelo et amore erga Deum, quem non videmus, quo erga res creatas et oculis objectas. At qui Christus imprimis peccata prout sunt in se nuda et horribilia atque in cœlum clamantia secundum omnes eorum circumstantias, numerum, gravitatem, etc. utpote nullam unquam peccati illecebra, affectus aut illectus, ante se conspexit: deinde ardentissimo zelo et amore flagrabat erga Deum, ut mille mortes appetere paratus esset, ne vel unico peccato Deus offenderetur. Jam si mos Hebræorum erat, audita execeranda aliqua blasphemia, vestes scindere: quid mirum si visis tot blasphemias et gravioribus etiam peccatis Christus non vestem, sed corpus adeo suum discidit ut sanguinem stillaret? Cogita hic si multitudo peccatorum tuorum sudare sanguinem fecit: quomodo tu tam durus es ut peccata tua non defleas?

Tertia, ingratitude hominum, quorum pauci admodum passionis hujus fructum sibi oblatum accepturi erant, imo eum conculcaturi et ad gehennam properaturi, quos omnes vidit ibi Christus, Judæos imprimis, suæ gentis homines, deinde tot Christianos. Quod si ita dure sentiunt parentes obitum unius filii, quem multa industria educarunt, ut sæpe ipsi mori malint, quam mortem filii cernere: quid putamus sensisse Christum ob innumerorum Christianorum æternam mortem? Si adeo dolent parentes, cum filius, cujus gratia tanta fecerunt, fit degener, ingratus et perversus? Quantum doluit Christus tot myriadam perversionem? *Detestatus sum omnem industriam meam*, inquit Salomon, Eccl. II. *qua sub sole studiosissime laboravi; habiturus hæredem post me quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit*. Poterat Christus multo melius hoc dicere, qui corrogato tanto thesauro scivit se tot filios prodigos habiturum: præsertim Judæos, qui substantiam sanguinis ejus erant conculcaturi, et paulo post ad extremam miseriam redigendi, vastandi et exterminandi a Romanis, denique damnandi.

Quarta, scelus Judæorum, quo mediante passionem suam perficiendam intellexit. Unde Sanctus Hieronymus ita intelligit orationem Christi, quasi petat transire calicem illum a se, eo quod optaret alio modo et medio pati, ne cum tanto Judæorum scelere fieret. Tantum erat hoc moti-

vum ut in ipsis crucis acutissimis doloribus sui ipsius quodammodo oblitus huc imprimis respiceret, ut pro crucifixoribus suis oraret. Primum enim verbum suum dirigebat ad crucifixores suos, secundum ad amicos, tertium ad consanguineos, postremum ad seipsum. En quomodo prima cura erat Christo pro inimicis, ultima pro seipso. Volebat enim Christus succurrere filiis infirmioribus prius quam aliis; crucifixores vero et Judæi, dum in Christum sævierant, interim in seipsos multo gravius sæviebant, quia scelere pessimo seipsos contaminabant. Hanc doloris vehementiam videtur indicasse voluntarius ille sudor, nemine vulnerante fusus, quasi Christus hic se offerat coram cœlesti Patre ad sponte fundendum sanguinem, et dicere velit: Quandoquidem sine sanguinis effusione non fit remissio, aperite vos venæ, et stillate ultro sanguinem per omnia membra; ne cum aliorum scelere fundi debeat. Unde Cantic. V. ait sponsus iste, digitos suos plenos esse myrrha probatissima, id est, myrrha (passionis) prima quæ sponte ex arbore profluit, nec incisione eget. Vult ergo dicere: En Pater, omnia membra mea instar digitorum promptissima et expeditissima sunt ad sanguinem ultro fundendum, ne cum scelere aliorum fundatur.

Quinta, gladius ille acutus, quem noverat ob suam passionem in matrem acuendum esse. Si enim Tobias ille junior in peregrino solo constitutus, etsi bono loco, quietem tamen non habebat, nec ulla ratione detineri volebat, sed domum contendebat, eo quod nosset parentes suos *computare dies et cruciari spiritum eorum in ipsis*, ut dicitur Tob. X. ob ejus absentiam: quomodo non magis hoc persensit Christus? Diligebat matrem summo post Deum amore, ipse inter hostes pessimo loco erat, nec ad matrem se reversurum, sed ad matrem abducendum sciebat. Tace igitur, o Tobia, ne sollicitus sis, quia bono loco es, mox ad matrem rediturus, salvus et ditandus. Tu vero, Christe, nihil simile tibi vel matri polliceri potes, sed contraria et adversa omnia.

Hæc igitur quinque illa intima animæ Christi vulnera sunt, quæ tam copiosum effuderunt sanguinem, ut jam mirari desinam, quare rubrum sit indumtum Christi nemine vulnerante. Cogitabo etiam præterea unum tantum fuisse propter Christum, reliqua omnia propter nos. O lapidea ergo et ingrata corda, quæ vident Christum propter nos adeo dolere, et ipsi interim pro seipsis nihil dolent?

IV. Fasciculus quartus, desertio et desolatio omnimoda, qua tum a propriis discipulis, tum a Deo, tum etiam a seipso deferebatur. Nam si

convertebat oculos ad discipulos: primo vidit Judam arma in se convertere, Petrum a se deficere et negare, reliquos animum despondere et diffugere, omnes denique obdormiscere, neminem esse qui vel vigilare secum ad horam vellet. Quamquam ipse non tam doluit se ab illis deseri, quam illos pastore destitui, et propterea partim exerrare, partim perire. Annon maxime affligeretur mater, si ingrediens domum videret latronem grassari in filios, et alium quidem jam jugulasse, alium lethali vulnere jam saucium et prostratum suffocare, cæteros vero metu consternatos dispergere? Quid si accederet ad hæc alter latro qui matrem etiam teneret, ut ipsa quidem cædem filiorum aspicere, impedire vero nequaquam posset, mox et ipsa trucidanda? Venerunt hæc omnia super Christum; vidit enim Judam a dæmone jam jugulatum, Petrum suffocari incipientem, ita ut præclusis quodammodo faucibus loqui et fateri Christum non posset, alios vero dispersos: et (quod omnium acerbissimum erat Christo) se præterea ligatum; quominus familiæ suæ succurreret.

Vehementer afflictum esse Christum ob fugam et infidelitatem discipulorum quis dubitat? Quid enim erat videre eos, quos tanto labore genuerat, educaverat, salutaribus doctrinis munierat, corpore suo cibarat et tenerrime diligebat, unica tentatione frangi et se solum in acie relinquere? Annon dolebat belli dux, qui multo tempore milites suos ad pugnam exercuit, aluit, docuit, munivit: postmodum, cum pugnandum esset, omnes primo congressu statim fractos et fuga turpiter dilabentes vidit? Ob similem enim causam dux Israelitarum Josue scidit vestimenta sua et pronus cecidit in terram coram arca dixitque: *Mi Domine Deus, quid dicam videns Israellem hostibus suis targa vertentem?* Jos. VII. Poterat certe hoc ipsum dicere de discipulis suis Dominus; et majori quidem dolore. Magno doloris sensu dixerat aliquando illis, videns multos discipulorum a se recedere, Joan. VI. *Numquid et vos vultis abire?* Quid ad hæc vos discipuli? Nonne dixistis ex ore Petri: *Domine, quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes?* Circumspicit hodie Dominus, et jam nemo ex vobis cum eo ambulat, quia omnes relicto eo fugistis. Cæterum parum fuisset pedibus fugere, nisi et animo fugissent; fidem enim, quam tot miraculis in se plantatam et corroboratam viderant, nunc aut perdiderunt, aut densissima fluctuationis et dubietatis obduserunt nebula. Deinde si ad retrum gradum faciamus, majorem adhuc ille dolorem Christo attulit, dum is qui petra et firmamentum aliorum constitutus erat, et præ cæteris majore

in honore habitus, turpius errat, et qui ad carcerem et mortem se offerebat, nunc non modo fugit cum aliis discipulis, sed præterea inter adversarios Christi stat, quasi consors eorum: compellatus etiam negat tam pertinaciter magistrum, et dedignatur ejus esse discipulus, eoque ipso fidem et vitam Christi improbat maximo aliorum scandalo; quis enim tunc non diffideret Christo, videns charissimum et fortissimam columnam ibi tremuisse, imo occidisse? Sane Petrus crudeliorem hic plagam infixit Christo quam ii, qui eum colaphizabant, conspuebant, percutiebant arundine, etc. quia illi membra tantum, Petrus vero cor Christi petiit, dum fidem et amicitiam ei renuntiavit, et per hoc infirmioribus petra offensionis fuit. O Petre, quid dicis? Non nosti hominem, qui te vocavit et ad apostolatam evexit? Qui tibi claves regni caelorum promisit? Qui te super mare ambulare fecit? Qui suam tibi gloriam in monte sancto ostendit? Inter maxima tormenta sua commemorat et illud Job cap. XIX. *Quem maxime diligebam, aversatus est me.* Vide, Petre, annon tu iste sis magistro tuo?

Denique suspendium Judæ, supra quod dici potest, pectus Domini concussit: quia ut ait Sanctus Hieronymus in Psalm. CVIII. *Magis ex hoc Judas offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod Dominum prodidit.* Facile tulisset Christus se deserere, negari, prodi: dummodo neminem ex suis omnino perdidisset. Quemadmodum enim pater videns conflagrare domum suam, præ omnibus currit ad liberos ut eos extrahat, etiamsi propterea ipse aduratur et opes omnes deserere debeat: dummodo enim liberos extractos videat, jam reliqua facile tolerat. At si unum in flammis videat, cui jam succurrere nequeat, tum vero magis dolet, quam ob reliqua damna omnia. Arsit hodie domus, corpus et familia Christi, quare Dominus se neglecto de discipulis sollicitus erat: ut incolumes servaret, ut Petrum aspectu suo, Judam osculo et amabili verbo (dum enim dicit, *Amice*, dicere videtur, id quod Joseph ad fratres suos dixit: *Non videatur vobis durum, quod me vendidistis: pro salute enim vestra misit me Deus,* Gen. XLV.) reduceret.

Secundo, desertus etiam a Deo, atque adeo a seipso etiam quatenus Deus erat: dum protectio illa divina, quam alias habebat (uti testatur Joann. VIII. *Qui me misit mecum est et non reliquit me solum*) et adhuc facile habere poterat a Deo, atque adeo *plusquam duodecim legiones angelorum*, ut inquit ipse Matth. XXVI. quaque aut impassibilem se facere aut passionem suam im-

pedire poterat: ad tempus, et, ut vocat Dominus Lucae XXII. per *horam* passionis, ex dispositione divini consilii (ut sic locum haberet oblatio cruenti sacrificii et rigorosa satisfactio communi decreto peccato injuncta) eum deseruit. Unde factum ut humana ejus caro sibi ipsi relicta sit, et acerbissimos dolores pateretur ac si instar nostrum infirmus et homo tantum esset: id quod indicabat alligatio illa Isaac, quem ligaverat pater ponendum in altare super struem lignorum, Gen. XXII. ne videlicet se defendere et ictui resistere posset; indicabat destitutio illa subita virium in Samsone, Judic. XVI. O quantum doloris sensit fortissimus ille heros, videns se prædam inimicis suis factam, et a Deo ligatum, quo liberius ei insultarent! Certe doloris hujus sensum explicat in cruce Dominus, cum a Patre se derelictum queritur. Quam enim foret acerbum illud supplicium, qua fortissimus alioqui miles ligaretur et vilissimis ac pessimis pueris macandus traderetur, quo modo Sanctus Cassianus martyr, vinctis post terga manibus, pueris, quos erudierat, stylis ferreis confodiendus et excarnificandus traditus est? Sic enim Christus vinctus pro nunc a Deo Judæis, quos erudierat, et alioqui velut pueros omnes uno ictu trucidare potuisset, traditus est. O heroum fortissime Christe, nonne tu es, qui in martyrum suppliciis ultricem tuam ostendisti manum; cum alibi brachia ferientibus, alibi sententiam scribentibus manus obringerent, alibi iudices excecati fuere: palatia corruere, alibi terræ motus facti, alibi calamus sententiæ scribendæ atramentum dare noluit, alibi feræ ad pedes martyrum prostratæ? etc. Cur modo nihil simile in propria causa facis? Sed magis mirandum hic est, virtutem et robur divinum, quod defuit Christo ad defensionem, non defuisse ad passionem; quomodo enim, obsecro, tamdiu vivere in tam extremis doloribus potuisset, nisi ad patiendum a Deo confortatus fuisset: post tristitiam ad mortem, post sanguineum sudorem, post acerbissimam flagellationem, quam ita ei inferebant, ne dimitti posset, adeoque ne viveret, post gravissimæ crucis bajulationem, quomodo vivere potuisset, nisi ad hoc a Deo servatus esset? Servatus, inquam, non ut æneus et insensibilis fieret aut onere levaretur, sed ut majoribus suppliciis et doloribus gradatim enecaretur O iram Numinis inauditam in charissimum sibi Filium! Imo erga peccatum potius nostrum!

Tertio, desertus etiam a seipso qua homo, sed beatus et comprehensor erat. Poterat enim tunc ejus anima, utique beata transmitti imprimis ad corpus donum impassibilitatis; deinde par-

animæ superior poterat ad inferiorem ejus partem transmitti omnis generis consolationes et gaudia (qualia in martyribus ut plurimum erant) quibus dolores ejus mitigarentur, et quodammodo oblivioni traderentur; sed nec istud in passione Christi factum, imo divina dispensatione decretum erat, ut pro tunc ne fieret, sed potius inferior omni consolatione destitueretur, et pœnis subjecta maneret. Tunc enim nubes quodammodo obducta inter utramque partem ut supra dictum. Quod si causam petas harum desolationum, ea est quod non nisi hoc pacto fieri satis potuerit justitiæ divinæ, quæ communi decreto statuit nullum peccatum impunitum relinquare.

V. Fasciulus quintus, crudelitas et insania Judæorum et gentilium, imo dæmonum, cui promissus Dominus fuit ea nocte et hora (tenebrarum. Non enim omnia supplicia ex sententiâ judicis ei decreta et irrogata sunt: sed multa insuper ex mera vilissimorum libidine ministrorum et dæmonis instigatione. Certe non jussit Pilatus, ut eum toties conspuerent, colaphizarent, blasphemarent, subsannarent, velarent, arundine percuterent, genu flexo adorarent, modo alba modo rubea veste induerent, huc illuc traherent, falso accusarent, etc. Ipsi Judæi eorumque ministri harum petulantiarum auctores erant. Quænam vero illa?

Primo, comprehenderunt et vinxerunt velut latronem aut malefactorem: et quidem fortiter ligandum suasit eis Judas, cum dixit: *Ducite eum caute.* Catenam collo ejus injectam fuisse, testatur catena illa, quæ a S. Ludovico Parisios illata, ut refert Corozet de antiq. Paris. cap. XIII. Quid insanitis adeo ministri? Annon satis sit, si juratus vobiscum eat, quid opus est vincire? An nescitis viros ingenuos sine vinculis ire ad tribunal? Nimirum ad majorem Christi ignominiam, imo ad præjudicium mortis Christum ligarunt, ut ita non pro ingenuo, sed pro latrone et nebulone reputaretur a populo et citius condemnaretur.

Secundo, trahunt de tribunali ad tribunal, etiam ad quæ non debebant. Quid enim erat necesse ducere? Primo ad Annam, cum non esset pontifex illius anni? Nimirum partim honoris causa id fecerunt, quia Annas erat soer Caiaphæ tunc pontificis, partim gratulationis causa, ut sic optatam diu prædam omnibus ostentarent, quo modo lupi agricolarum hostes, ubi capti aliqui fuerint per vios et pagos cum gaudio et gratulatione circumferuntur, partim ignominie augendæ. Quid enim erat obsecro videre tantæ existimationis virum, qui cum tanta laude et majestate eis prædicaverat tamque mira patra-

rat, cujus pedibus reguli, centuriones et archisynagogi advolvebantur, quem paulo ante ramis exceperant et regem salutarant, modo per publicas plateas, per tot palatia, satellitibus circumdatum, manibus ligatum, non ut eum decebat, modeste incedere, sed rapi, trahi, currere, et festinare, velut hostem reipublicum cum impia turba cogi?

Tertio, accusationes falsas comminiscuntur et afferunt. Audiamus: *Dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reedificare illud.* Falsum est, non ita dixit; sed hoc: *Soluite templum hoc,* Joan. II. Pergunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.* Falsissimum, annon erexit languidos? Liberavit obsessos? Resuscitavit mortuos? Pavit famelicos? Evangelizavit pauperes? Item: *Prohibentem tributa dare Cæsari.* Contrarium dixit, non hoc. Item: *Regem se facientem;* falsissimum et hoc: annon fugit, cum volebatis eum rapere et regem facere? Quo animo hæc audivit Dominus? Non excanduit? Non se propugnavit, cum tam facile posset et contrarium docere? Ne verbo quidem dolorem pressit, ne redemptionem nostram impediret. Quantus dolor audire tantas calumnias, et interim tacere? Annon experimur nos, si vel unico verbo injurioso tangimur, subito sanguinem ebullire? Oculos inflammari? Faciem inflari? Nares fumigare? Membra omnia ad vindictam acui? Nec ego fortiozem illum dicam, quia talia sufferre et surdo pertransire aure potest, quam Mutium illum Scævolam, qui manum sponte exussit.

Quarto, faciem ejus velant, colaphizant, depalmant, conspuunt, illudunt dicendo: *Propheta nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Et hoc omnia in una Caiaphæ domo. Quæ in primis gravissimæ, ratione contemptus, erant injuriæ, ut alapæ et sputa præsertim apud Judæos; si enim confusio magna erat filio cum pater in faciem ejus expuit, confusio non erit spuere vilissimos scurras in faciem Dei? Græcum verbum apud Matth. (*errhapisan*) indicat, quasi etiam crepidis eum percusserit. Quis vidit unquam tale spectaculum? Ecce ludum illum puerilem cum Filio Dei ludunt, quo velatus quis percutitur ut percussorem indicet: quid hoc aliud quam pro stulto Christum habere? En cum cæco Samsone ludunt Philisthæi. Sed expectate parumper donec recuperet suas vires, et videbitis cum qui luseritis. Et o quæ multi ita cum Deo ludunt quasi cæcus esset et peccata eorum non videret.

Secundo, quod hæc maxime facerent in gratiam et favorem Caiaphæ, quem viderant Christum contemnere, superbe vestem suam scindere, adeoque ansam sibi præbere et præire ad illudendum

Christum. Et quanta hæc injuria? Insultare Christo eos, quos nulla unquam ratione offenderat, et idcirco tantum ut superbo et odio pleno pontifici gratificarentur? Quid enim audio? In gratiam unius inflati et perditum hominis vexatur et tribulatur Deus? Quis non fremat, quis non indignetur? Quis unquam audivit talia fieri reis ante sententiam judicis; imo etiam condemnatis? Et impune quidem diaboli inventa sunt ista, qui hoc pacto voluit partim furori suo satisfacere, partim Christum ad impatientiam perducere ut S. Jobum.

Tertio, quod hæc omnia propria auctoritate, imo libidine, ante sententiam judicis facerent, imo sententiam damnationis in eum ferrent, dicentes: *Reus est mortis*, quasi dicerent: Sive purget se, sive non, debet mori. Nunquam enim quærent ex Domino utrum se purgare velit, sed satis eis est audisse accusatorem, quidquid dicat reus. O quantum se divina majestas humiliavit, quæ daemonum potestati propter nos permittere se non recusavit!

VI. Fasciculus sextus, comparatio Christi cum Barabba, quæ maximum afferre Christo contemptum et dolorem debuit, primo ratione personæ, cui erat comparatus, imo postpositus. Erat enim seditiosus et homicida, isque insignis, ut Matthæus ait, et latro secundum Joannem, et quidem famosus, ut ait Chrysostomus. *Quæ conventio Christi ad Belial?* Auctor vitæ Dominus: auctor mortis Barabba: turbator civium Barabba, conciliator Christus: terror urbis Barabba, gaudium et solatium Christus, ad quem consolationis gratia passim accedere solebant Judæi et dicere, cum forte angustiarentur: *Eamus ad videndum filium Mariæ, ut consolari possimus*: ut testatur in revelatione. S. Birgitta, l. VI, c. I. *Erat enim, ut ibid. ait sancta illa, tanta pulchritudine præditus ut quicumque eum inspiceret, consolaretur a dolore cordis, quem habebat.* Quæro nunc, o Judæi, numquid simili aliquando fine accessistis ad Barabam? Annon potius conspectum ejus horruistis? *Cui (igitur) assimilastis, et adæquastis?* ait Dominus Isai XLVI. *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me, et nunc vere et manifeste latronem me reputatis.* Sed parum erat assimilari et latronis instar tractari: nunc etiam insigni latrone deterior, reip. magis noxius, minus vita dignus judicatur, qui tot ægris sanitatem, tot claudis gressum, tot surdis auditum, tot cæcis visum, tot mortuis vitam, tot obsessis quietem et liberationem attulit, quem omnes in omni tribulatione velut patrem patriæ appellabant. Quis hæc verbis explicet? *Obstupescite cæli, Deus exclamat, Hier. cap. II. et portæ*

ejus desolamini vehementer, quia duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas. Fons vivus Christus, cisterna dissipata Barabba.

Secundo, ratione eligentium, quia communi suffragio Barabba eligitur. Audiamus ergo vota populi. Quid vos, principes et Pharisæi, inquit Pilatus ut reor, qui optime perspicitis utriusque conditionem et statum, date gloriam Deo, in re tanti momenti, in causa sanguinis, præstate juramentum, quod non secundum affectum, sed secundum personarum dignitatem judicare velitis; quid dicitis? Quem vultis vos dimitti, Barabam an Jesum? *Clamaverunt omnes*, ait Joannes: *Non hunc, sed Barabam.* Convertamur ad simplicem turbam, quæ solet esse mitior quam magistratus, nec causam habet sinistri erga Christum affectus: quid vos dicitis: *Clamaverunt omnes*, et, ut Lucas ait, *universa turba: Non hunc, sed Barabam.* Quid hoc rei? Quis fascinavit hunc populum? Sed tentabo aliam partem, quæ non potest petere Barabam. Quid dicitis vos parentes, uxor, liberi, fratres, sorores, amici ejus, quem occidit injuria Barabba iste a vobis accusatus? Quem vultis dimitti vobis? *Clamaverunt omnes: Non hunc, sed Barabam.* O furor, o insania! Sed video nihil nos in sinistra parte proficere, ubi Christus vel odio habetur, vel non noscitur. Vertamur ad dextram partem, amicorum, et clientum, qui Christum familiariter norant, et plurima ab eo beneficia acceperant. Quid igitur vos, tot cæci, surdi, claudi, dæmoniaci, ægri, qui a Christo curati estis? Quid vos novem millia hominum, qui a Christo mirabiliter pasti fuistis, et regem eum facere voluistis; quid vos tot innumeri ægrorum curatorum amici et propinqui? Quid dicitis? *Clamaverunt omnes: Non hunc, sed Barabam.* Quod si aliqui non id clamaverunt, saltem tacuerunt. Ecce quam verum, quod per Davidem prædixit Dominus, Ps. CXLI. *Considerabam ad dexteram et videbam, et non erat qui cognosceret me.* Nimirum tantus erat furor pontificum et seniorum in Christum, ut licet e plebe plurimi essent, qui Christo suffragarentur, non audebant tamen hiscere, nedum eum defendere. Certe Nicodemus ipse, etsi senator, ob metum nihil audeat dicere. Nemo est qui audeat leonibus ovem eripere. O vere *maledictus furor* Scribarum et sacerdotum, qui in furore suo occiderunt virum, et in voluntate (id est libidine) sua *subnervaverunt taurum*, ut vertunt Septuaginta, Genes. XLIX. Certe tanta erat hæc contumelia et in Christum furia, ut propterea Pilatus ipse turbaretur, et quasi mentis inops fieret, dicens: *Quid igitur faciam de Jesu?*

Tertio, ratione fraudis, cum qua postponebatur: persuaserunt enim principes sacerdotum et seniores populo, haud dubie plurimis commentis contra Christum excogitatis, ne Christum peterent. *O principes infideles, socii furum*, si pupillo judicare non vultis, quare saltem populum jure suo agere, et libere sentire non permittitis? O gens peccatrix cur in causa sanguinis de sensu et judicio vestro interrogati, contra jus, fasque simultatis et conjurationis rei sitis, dum non vestram mentem, sed alienarum vanissimarum persuasionum ductum sequimini?

Quarto, ratione aliorum captivorum, uti reor. Quia enim propter festum aliquis mortis reus erat dimittendus, Christus intelligebat propter se factum esse, ut indignissimus et omnium, qui tunc capti tenebantur, pessimus liberaretur: cum alias haud dubie alius quidam minus reus, et forte ex illis unus, qui cum eo crucifixi sunt, a Pilato eligendus esset. Hic enim ideo Barabam nequissimum in sortem liberationis venire voluit, quia certo sperabat tam nequam hominem Barabam nequaquam vita donandum aut præponendum; sed aliter res evenit. Inde enim factum, ut propter speratam Christi liberationem ille liberaretur, qui indignissimus erat, et aliis captivis, quorum unus liberandus erat, spem omnem vitamque præcederet. Quam rem non dubito dure accepisse Christum, quod ipsius causa digniori vita adimeretur et indigniori donaretur.

Quinto, ratione contemptus. Quid enim sibi volunt ea verba de Christo dicta: *Non hunc?* Contemptum significant, quasi Christum ne agnoscerent quidem, aut nomen ejus scirent, vel eo dignarentur. Sic enim et Moysi faciebat duci suo tam benigno et benefico, cum dicerent, Exod. capit. XXXII. *Surge, fac nobis deos, Moysi enim huic viro, qui educavit nos de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* O stulti et tardi corde, huncce non agnoscitis? Hic est qui innumeros ægros sanavit, qui paulo ante Lazarum familiarem vobis suscitavit: quem ante triduum regem benedictum, filium David dixistis: Itane ergo cæci estis, ut hunc non agnoscatis? Audite Isaiam vestrum, cap. I. *Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognovit et populus meus non intellexit.* Sed quid sequitur? *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filii sceleratis!*

Porro non desunt etiamnum qui Christum Barabbae postponunt, quod fit in peccato. Miramur quod tam facile persuasus sit populus, et tam stultum errorem commiserit, latronem auctori vitæ præponendo: sed quid si nos idipsum

sæpe faceremus? Certe quoties peccas, Barabam, id est, creaturam noxiam Christo præeligis. O stultum mundum, quis credat ei in posterum, qui hodie tam turpiter erravit? O stultum peccatorem, qui eundem imitari audet!

SECUNDA PARS.

VII. Flagellatio Christi continens: 1. Insignem injuriam. 2. Ingentem ignominiam. 3. Pudorem maximum. 4. Dolorem acutissimum. — VIII. Coronatio continens: 1. Diabolicam inventionem. 2. Insanam ministrorum libidinem. 3. Dolorem inæstimabilem. 4. Contemptum inauditum. — IX. Bajulatio crucis continens: 1. Grave pondus. 2. Horrorem mortis. 3. Multam contumeliam. 4. Multam confusionem. — X. Crucifixio, in qua: 1. Exiit. 2. Prostrernitur. 3. Crux erigitur: ubi considera ignominiam, cruciatum, societatem latronum. — XI. Insultatio crucifixo facta: 1. Illudunt. 2. Fel offerunt et acetum acerbum. 3. Vestes dividunt. 4. Mortem afferunt acerbum. — XII. Præsentia matris.

THEMA.

Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem. Hebr. XII.

Bene apostolus Paulus ad Hebræos XII. passionem Christi Domini uno verbo depinxit, cum appellavit: *Contradictionem.* Quid enim in passione illa, quocumque oculos vertas, nisi contradictio? Contradictio est in Deo, quia constringitur funibus qui constringit mundum vinculis; coronatur spinis qui coronat solem radiis; spoliatur vestibus qui vestit prata floribus; pendet in tribus clavis qui appendit molem mundi tribus digitis; fons aquæ vivæ petit hodie bibere, pascitur felle qui pascit animalia; qui pluit aquam e nubibus, pluit sanguinem e venis; altitudo humiliatur, majestas minoratur, gloria vilipenditur, lux offuscatur. Verbum mutescit; æternitas abbreviatur; infinitas mensuratur; bonitas accusatur; Sapientia traditur; Omnipotentia offenditur; Innocentia patitur; Vita moritur. Contradictio in Christo: juste enim moritur ob decretum Patris, injuste ob decretum Pilati. Passio ejus amara et dulcis: fructuosa fidelibus, sterilis infidelibus. Desiderat pati et timet, deprecatur calicem et libenter bibit. Contradictio in Juda; tradit et mox pœnitet: pœnitet et se suspendit. Contradictio in Petro, qui jurat se moriturum cum eo, et ter cum juramento negat eum. Contradictio in discipulis aliis, qui agnoscunt eum pro Messia, et postea deserunt. Contradictio in Pilato, qui declarat in-

Clemente Alexandrino, lib. II. pæd. c. VIII. pro purpura induunt eum chlamyde coccinea, utique obsoleta et lacera, quemadmodum et Zacharias pontifex Zachar. III. indutus erat vestibus sordidis. Sceptrum, arundo, reverentia regi exhibita sunt, jocosæ genuflexiones et salutationes ridiculæ, sputa, alapæ, verbera arundine inflata.

Denique rex iste inauguratus promulgatur et ad conspectum populi producit (non ut recipiatur, sed ut exturbetur) ab omnibus conspiciendus et illudendus, qui ante quatuor dies tam honorifice fuerat exceptus. Quanta ibi erat hominum multitudo, in die solemnissimo paschæ? Quis te agnoscat, o Domine! Qui adeo tui es dissimilis? Non miror certe si Judæis non placeas; tui enim quæso, placeres sic affectus? Et sane si tunc te conspecto dixisset Petrus: *Quia non novi hominem*, nihil dixisset. Quid aliud sibi voluit illa Pilati verba: *Ecce homo*, quam ut indicent ita affectum Christum, ut jam pro homine vix agnosci possit? Picturæ imperite factæ ex epigraphe tantum cognosci solent. Adeo ergo sæpe depictus fuit Dominus manibus licitorum ut non nisi ex Pilati voce agnosci homo posset. Quid igitur? Hæc ejus deformatio nondum satisfaciet furori Judæorum ut amplius nil requirant? Minime gentium: *Sanguis ejus super nos*, inquit. Et quod amplius est, Cæsarem regem sibi eligunt, ne Christum regem agnoscere videantur.

IX. Fasciculus nonus bajulatio crucis, quæ continet primo grave pondus et molestum; quod nisi viribus Christi gravius fuisset, id ab ejus humeris in Simonis dorsum non transtulissent; quam enim quæso, gratiam Christo unquam exhibuerunt? Idcirco igitur a Christo humeris crucem abstulerunt ne pondere ejus oppressus in itinere expiraret. Crux ipsa de quercu erat, ligno gravissimo, longitudine pedum quindecim: Christus totus exsanguis et prioribus suppliciis exhaustus fuit, humeri ejus undique vulnerati, corona spinea crucis crebra illusionem profundius capiti imprimebatur: quomodo igitur non gravissima et molestissima Christo crux? Certe si nos vel modicum ulcus vexet, nullum ibi onus admittere possumus. Christum ter cum cruce in terram prolapsus scribit Adricomius in descript. Jerosol. num. CXVIII. Sed parum fuisset hoc onus Christo, nisi et nos super illud saltassemus; peccatorum enim nostrorum multitudine et nostra ingratitude, quia inutilem nobis facimus et inanem passionem ejus, multo magis eum gravavimus.

Secundo, horrorem mortis ante oculos semper observantis, qui pondus illud multo gravius fecit.

Non ita onerosus erat fasciculus ille lignorum quem gestabat in dorso Isaac, Gen. XXXII. qui nesciebat se super eum occidendum et sacrificandum: quod si is scivisset, o quam gravis ei factus fuisset! Nulli pondere etiam gestavit litteras mortis suæ Urias in sinu suo, III. Reg. XI. quæ si ei perspectæ fuissent, omni pondere graviore fuissent. Jam vero Christus Dominus sciebat quid gestaret, lignum scilicet in quo mox immolandus esset, et litteras mortis suæ certissimas. Quanto igitur putatis animi mœrore crucem illam a Christo aspectam fuisse? Dicat ille, qui ad furcam educitur, quid sentiat ea conspecta. O lignum triste, o lignum amarum, cogitabat, quam funestus et amarus est mihi aspectus tuus! Videbant primi nostri parentes lignum vetitum, *quod bonum esset et pulchrum oculis aspectuque delectabile*, Gen. III. *et tulerunt de fructu ejus et comederunt*. Sed o quam diversus est ligni illius fructus et inde prognatus ramus, crux videlicet ista! Quam malum, quam deforme et horribile aspectu est hoc lignum! Cæteris ultime supplicio plectendis, quantumvis reis, vel oculi velantur, vel instrumenta carnificinæ absconduntur; ne eorum aspectu tristiores redantur et animum despondeant. Non ita fit Christo Domino, sed quidquid ad majorem ejus dolorem facere potest, adhibetur: unde crux ob oculos, imo in humeros ejus ponitur a Judæis, ut sic in animo prius crucifigatur quam in corpore.

Tertio, multam contumeliam, siquidem more latronis educitur. Primo, duram crucem suam bajulare cogitur, quasi nemo alius licitor aut carnifex, lignum tam contumeliosum attingere vel gustare audeat. Judæi certe si prætorium vitabant, quanto magis crucis maledictum? Secundo, dum in via stimulis præacutis agitur et pungitur instar jumenti (pro more Romanorum, teste Plaut. in Mostell.) ut iter acceleret. Tertio, dum tintinnabulo sibi appenso, ut scribit Petrus Fab. lib. II. semest. c. VIII. aut certe prælato, monet ne sibi homines appropinquent suique contactu polluantur. Quid hic dicam, Deus bone? Itane vero ad eum accedere non licet, ad cujus adventum dæmones fugerunt? Eumne tangere non licet, quem olim *omnis turba quærebat tangere* et a quo *virtus exibat et sanabat omnes*? Quarto dum voce præconis præeuntis causa mortis proclamatur, quam speciose fieri poterat, quasi Judæorum clamor non satis superque in omnium sonuisset auribus. Quinto, quia cum duobus latronibus educitur. Lucas hac de re dure loquitur cum ait: *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo*. Quid dicis, o Luca? Si alii duo nequam, ergo et Christus talis? Vel si non talis

Christus, quomodo ducuntur cum eo alii duo nequam? Nimirum dicere voluit Lucas, adeo contumeliose tractatum Christum, ut passim nequam reputaretur, quia nihilo melius tractabatur.

Quarto, multam confusionem, dum per tot hominum myriadas educitur, quorum alii peregrini eum contemplabantur, alii ob notitiam et familiaritatem comitabantur, alii ob beneficia ab eo accepta aut propinquitatem deplorabant, ubi et matrem ejus cum Magdalena et reliquis devotis mulieribus ac discipulis fuisse quis ambigat; si enim filia illæ Jerusalem flebant, quanto magis istæ? Hinc vero ingenti dolore affectum Christum, partim quia vidit eos scandalum in se pati, partim ob naturalem erga eos affectum et commiserationem quis dubitet? Quo sensu putamus fuisse Christum, cum vel unum ex discipulis et notis, vel feminis ei ministrare solitis, ac præcipue matrem in transitu aspexit? O mater, o discipuli, o mulieres, si adhuc semel et ultimo videre cupitis filium et magistrum vestrum, currite, festinate, egredimini, filia Sion, et videte Regem vestrum. O Maria, curre, vide nunc extremum filium illum tuum, quem peperisti, lactasti, toties amplexata, toties osculata es: vide num hæc sit tunica filii tui? O Magdalena, curre: ecce sponsus et amator tuus paulo post occumbet in mensa crucis: ecce magister tuus transit. O mater, filiorum Zebedæi, quæ petebas dexteram et sinistram Christi pro filiis tuis, ecce jam obtinere potes, quia jam alius a dextris et alius a sinistris ejus crucifigetur. O Christiani omnes, *excamus ad eum* (et cum eo) extra castra improprium ejus portantes, Hebr. XIII. Sed quam pauci sunt qui Christum comitantur et crucem ejus sublevant? Multi certe mortuam ejus crucem adorant, vivam vero, id est, tribulationes et persecutiones, ignominiam et paupertatem ferre non possunt: sed mox a se rejiciunt. Hi nimirum instar Pharisæorum sunt, qui vivos prophetas occiderunt, mortuis vero tumulos erexerunt, quemadmodum testatur Dominus, Matth. XXIII.

X. Fasciculus decimus, crucifixio, cujus primus flos est ipse crucifigendi actus, in quo spoliatur iterum vestibis suis magna vi et festinatione Dominus a crudelissimis carnificibus. Heu quoties exiit Dominus! Primo, ante flagellationem, iterum, ante coronationem, denique, ante crucifixionem. Quid vultis, o insani, cum toties repetita nudatione? Nimirum quia non poterant Christo utpote pauperrimo aliud quid detrahere, quod optabant; ideo eandem illi vestem sæpius detrahunt, quem pluribus et pretiosioribus rebus spoliare optabant. Et vero non modo vestem, sed cum veste cutem et carnem ex parte detraxisse

illos putant viri sancti, uti S. Bonavent. quod undique vulnerato corpori vestis fortiter adhæsisset. Secundo, in terram prosternitur et cruci affigitur, brachiis ac pedibus magna vi distractis. Proh quam ingentem pertulit tunc cruciatum Dominus, cum clavi illi carnem, nervos, ossa et medullas ejus, ubi maximus est doloris sensus, penetraverunt! De Josepho dicit Ps. CIV. *Ferrum pertransiit animam ejus*: sed non erat proprie is Joseph, cui hoc accidit, quia ferrum vincebat eum tantum; sed Christus est, cujus animam pertransiit ferrum. Tertio, crux erigitur et magno impetu in foveam decidit, ubi totum ejus corpus contremiscit, vulnera omnia laxantur. O Christiani, si membra Christi essemus per charitatem ei unita, hos ictus et concussionem utique et ipsi sentiremus: quale enim est membrum quod non condolet capiti?

Secundus flos ignominia, quæ ex eo primo patet, quod nemo liber etiam nocens, sed servi tantum nocentes in eam agebantur. Unde servile supplicium dictum a Tacito, l. IV. hist. Videtur hoc insinuare velle Pilatus dicens: *Regem vestrum crucifigam?* Ubi tandem manifeste apparet, Christum assumpsisse formam servi; hæc enim forma prius in eo non ita apparebat. Secundo, quod suspendiosos et crucifixos lugere nefas erat. *L. Liberorum. ff. de his qui notantur infamia*. Tertio, quod olim crucem alicui imprecari omnium dirissima imprecatio erat. Ita Gracchus in orat. contra Publ. Popil. Quarto, quod Romani quotannis semel canem in crucem actum per urbem circumduxerint: volentes per hoc omnes durissimo afficere supplicio, quod custodiam non observarent, nocte, qua Galli capitolium conscenderunt, apud Plut. l. de fort. Rom. Quinto, quod iidem Romani ad coercendos homines, ne seipsos interimerent, talium interfectorum cadavera crucibus affigenda edixerint, quasi hæc ignominia sufficientissima et aptissima foret ad scelus illud vitandum, teste Cassio Emina apud Servium. Sexto, quod dicitur in Scriptura: *Contemptibile lignum*, Sap. X. *Et mors turpissima*. Sap. II. apud Romanos, *Lignum infelix, infame, damnatum*, apud Grets. lib. II. de cruce. Et a Cicerone, l. IV. in Verrem, *Crudelissimum et teterrimum supplicium*. Denique Sanctus Paulus Christi humilitatem et exinanitionem explicans, ulterius descendere non potuit quam ad crucem, *humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis*. O Christiani mei, quomodo non erubescimus, qui adeo superbimus, tam splendide vestimur, honores consecramur et gloriam ab invicem quærimus, dum Christum in cruce aspiciamus? Considerabat hoc sancta illa regina Elisabetha, quæ regio semel ornatu ante

Crucifixi imaginem in templo orans et disparitatem sui cum Crucifixo perpendens, tantum concepit dolorem, ut pene exanimis viribus defecta corruerit, et ab ancillis aqua lustrali refocillari debuerit, refert Raderus in Bavaria sancta, p. 1.

Tertius flos, cruciatus ingens, qui primo, vel ex ipsa crucis voce intelligi potest: volentes enim acerrimum cruciatum exprimere, crucem appellamus; secundo, quia fixio fit in partibus ubi sensus est acutissimus, tertio, quia corpus ipsum suo apte pondere deorsum gravidans dolorem perpetuo auget, vulneraque dilatat. Quarto, quia mors crucis est lenta et prolixa; siquidem nullum in ea lethale vulnus, omnia remotissima sunt a corde, unde sola doloris vehementia mors affertur. Quinto, quia per tres horas in cruciatu illo vixit. Leva nunc oculos tuos, si saxeus non es, et vide qualiter Dominus instar vermis in cruce se ob doloris vehementiam inflectit, et contorquet, quemadmodum testatur S. Birgitta I. VII. revelat. cap. XV. dicens: *Aliquando conabatur ipse extensiones facere in cruce, præ amaritudine nimia, quam sentiebat intenzi doloris acutissimi.* O quam vere dicere de eo potuit Psalmista, (Psal. XL. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus!* Vide interim tu quam arcta sit mortis cœlique janua, cum Christus ipse adeo se urgeat et coarctet, vertat, revertat, flectat, inflectat, donec per eam transmeet. Et nos sæpe tam facile cœlum nobis pollicemur et penitentiam ad mortem usque differimus, ubi cum morte luctandum.

Quartus flos, societas latronum, quorum medius Dominus crucifixus est. Medius, inquam ille, qui in cœlo erat medius inter angelos: inter duos maximos prophetas in monte Thabor. Sed cur hoc? Primo, quia audierant in Oliveto Dominum deum accepisse, quod ad ipsum velut ad latronem exiissent cum gladiis et fustibus: itaque quo eum acerbius affligerent et infamarent, non tantum ut latronem eum crucifixerunt, sed ut latronum ducem et antesignanum in medio latronum. Secundo, quia per hoc volebant Christi nomen et memoriam in animis hominum odiosum reddere et prorsus extinguere, quemadmodum Josias rex ossibus mortuorum lucos et altaria idololatriæ profanavit, ut populum ab idolorum cultu, horrore ossium revocaret, IV. Reg. XXIII. Unde licet multi forte libenter accessissent ad pedes et crucem Christi, et suum erga illum amorem, fidem et affectum demonstrassent, prohibebantur tamen ob aliorum latronum societatem: alii libenter in eum forte credidissent ob incredibilem ejus patientiam, ob signa visa, etc. quorum multos ideo fuisse absterritos crediderim. Hinc enim factum, ut amici etiam ejus a longe sta-

rent. Quam diabolicam technam tanto acerbius sensit Christus, quanto pluris aestimavit pretium redemptionis suæ, ipsius passionis doloribus: si enim non pluris aestimasset redemptionem hominum, quam dolorum suorum magnitudinem, non tam caro pretio homines emisset. Hoc igitur est, de quo conqueritur per Psalmistam Dominus, Ps. LXVI. *Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti;* Septuaginta transferunt: *Cucurrerunt in siti.* Sanctus Ambrosius utramque lectionem recipit, quia sicut Judæi cucurrerunt sitibundi ut pretium Christi repellerent et evacuarent, ita cucurrit Christus ut id obtineret et detineret. Igitur nihil proficis, o cæca invidia et sæva crudelitas; antevertit enim vos longe cursu suo Christus, volat et in alto triumphat crucis vexillum, jacent sine honore patibula latronum; quinimo crux Christi cruci conversi latronis quantumvis infami contumeliam abstulit et honorem communicavit, ut et ipsa non propter se, sed propter Christi crucem honoretur.

XI. Fasciculus undecimus, insultatio Crucifixo facta. Nam etsi Judæorum et hostium Christi furia jam prorsus exsatiata videri poterat, dum in ultimo penderet supplicio, dum affixus esset ut jam insidiatorem regni timere non possent, dum jam exanguem et exhaustum, mortique proximum viderent, dum immensis eum doloribus et quasi pelago dolorum circumdatum, dum jam non tam homo, quam canis abjectissimus jamjam moriturus videri poterat, dum nihil jam cruciatuum, quos ipse non pertulisset, superesse videbatur, dum omnes etiam inimicissimi ad commiserationem movendi essent: tunc primum incipiunt contra eum furie infernales crudelius insanire. Nam imprimis illudunt et irridunt eum principes, milites item et multi ex turba prætereuntes, facetias in eum jactant et excogitant, quasi sic justa ei persolvere et (diabolicas) exsequias cantare velint: quin etiam latronum alter suarum oblitus pœnarum, quasi alii parum facerent, Christo insultare incipit. O homines crudeliores! Conqueritur Dominus, Jerem. XII. *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva, aedit contra me vocem.* Sed dummodo vel leo esset: hic enim parcat, cum prostratum hostem videt, et ut Ovidius ait: *Pugna suam finem, cum jacet hostis, habet.* Hi vero nec Christo in crucem acto pareunt, sed in prostratum sæviunt et afflictionem afflicto addunt. Utinam non id ipsum ageremus et nos, qui dum peccata peccatis addimus, quid aliud facimus, quam quod Christo afflictionem addimus?

Secundo, Christo ob omnimodam exsiccationem sitiendi et potum petenti quid offerunt? Felle mixtum acetum. O inferno sæviorem crudelita-

tem! Novimus enim epulonem guttam aquæ in inferno peti se, quam etsi non obtinuit, fel tamen ei pro aqua oblatum non est. Paratus erat Christus aquam bibere, dummodo obtulissent: quod si hanc dare noluerunt, cur non simpliciter negarunt? Cur fel et acetum dederunt? Secundo, alia ex parte acerbissimus erat hic potus, quia cum devotæ mulieres Jerosolymitanæ vinum optimum et myrrhatum præstantissimum Christo obtulissent, milites id in felle et aceto malitiose perverterunt; vel ut scribit Lyranus, Matth. XXVII. vinum illud sibi acceperunt, et pro eo fel et acetum Christo propinarunt: qua amaritudine quæ major excogitari potest? Tertio, ex hoc quod ex sententia cardinal. Baronii, tom. I. annal. aceto illo sanguinem Christo sistere et mortis dolores prolongare voluerunt, ut sic quodammodo moriens mori non posset, aut diu moreretur: quod si ita factum est, id omnem omnino superat crudelitatem.

Tertio, vestium ejus divisionem faciunt et pro illis sortes mittunt. Vestes igitur illæ per quas miracula fiebant et ægri curabantur, nunc carnificibus cedunt et quasi res vilissima alearum lusui subjiuntur. Quæ injuria et contumelia tanta est, ut nullus evangelista eam tacuerit. Pauperimus erat Christus, nec aliud habebat præterquam vestes. Nihilominus tam extremæ paupertatis spolia a cupiditate et avaritia libera esse non possunt, sed ante oculos Christi dividuntur et alæ subjiuntur, atque adeo Christo nondum mortuo, hæreditas ejus tenuissima invaditur ab infernalibus Harpyis. Quem ludum, quem triumphum non excitabunt demones, cum in morte avari spolia distribuunt, si tanta Christi paupertas a præda non est immunis? O Christe, jam tibi necessario moriendum est, et mundus deserendus, quia is januam post te clausit, ut regredi non possis: si enim superviveres, non haberes amplius quo vestieris.

Quarto, igitur mortem adferunt Christo Domino, eheu quam acerbam! Primo, enim mori cogitur Dominus in flore juventutis, et sicut pomum immaturum vi avellitur ab arbore. Secundo, moritur vivis et integris sensibus, unde optime sensit amaritudinem passionis et mortis suæ, quod aliis hominibus ob emotuos sensus et turbatam imaginationem accidere non solet. Tertio, heu quam præcipitanter! Aliorum reorum necesse saltem in tertium differuntur diem: Dominus noctu comprehenditur, mane offertur judici, hora tertia diei damnatur, ad meridiem crucifigitur, hora nona expirat: quasi ejus vita sit omnium perniciem et mors. Intra viginti horas hæc omnia evenerunt.

Denique quam amare? Tanta enim erat animæ et corporis Christi unio et amor, ut nulla unquam in re dissenserint. Non difficile separantur vir et uxor cum male conveniebant, sed optimam et fidelem uxorem ægerrime videt mori: talis erat conventio corporis et animæ in Christo. Ecce igitur quam gravis erat morbus noster; siquidem tam multis et acerbissimis remediis ac phlebotomiis curari non potuit; sed necesse fuit, ut Filius Dei prorsus occideretur. Antequam chirurgi pedem aut manum abseindant, prius omnia tentant, nec nisi re omnino desperata cultrum expediunt. Quid non tentatum est ut morbus noster curaretur? Quot venarum sectiones tulit Christus? Sed ecce nil profecerunt: abscindendum erat ipsum caput corporis nostri, occidendus Christus, ut vivere possemus.

XII. Fasciculus duodecimus, præsentia matris ad crucem, quæ non tam corpus quam animum Christi cruciabat. Exod. XXIII. præcipitur: *Non coques hædum in lacte matris suæ; ne scilicet fiat illi ad perniciem, quod ad ejus utilitatem et oblectationem facere debebat.* Sed hic id minime observatur, coquitur enim hic Christus, hædus pro peccatis nostris factus, in lacte matris suæ; nam cujus præsentia gaudium filio parere deberet, nunc maximum dolorem creat. Ecce duo luminaria, majus et minus sibi opposita et se mutuo contenebrantia, sibi que mutuo vocem adimentia, et consolationis lucem. O eclipsin tristem!

Jam vero si ad extremum introspicere velimus, quis Christum tot cruciatibus affecerit et confecerit, non alium inveniemus, quam nos ipsos. Itane vero dices? Imo vero. Dic enim nobis, Christe, quis est qui te percussit et adeo confecit? Respondebit pro te Pater tuus iniquiens: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Morbus enim noster mera nostra libidine contractus, adeo erat incurabilis, ut nisi sanguine Filii Dei curari debite non posset. Igitur nisi nos primo arma contra Deum Christum sumpsissemus, milites nunquam sumpsissent. Rogo enim te, si tu in flumen incidisses jamjam mergendus, et undique circumspiciens neminem videres adjutorem, nisi unum tantum hominem: si ille sortem tuam miseratus detractis a collo vestibus flumini se crederet, et ad te pernataret, ut inde te extraheret: interim vero dum te ad littus trahit, ipse debilitetur et tuo pondere, dum fortiter eum apprehendis, ipsomet demergas, tu vero emergas; nonne fateri debebis, te ipsum submersisse, et tuam liberationem causam esse mortis ejus? Præterea non dolebis summopere quod liberatorem tuum demerseris? Ita res habet in propo-